



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 41. Cujusdam Hispani Doctoris oratio nomine Comitum Lunensis  
pronuntiata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

§. XLI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1563.

*Cujusdam Hispani Doctoris oratio  
nomine Comitis Lunensis pro-  
nuntiata.*

Postquam Ferrerius hanc suam peti-  
tionem interposuerat, mox Petrus  
Fontidonius Salmanticensis Episcopus  
(\*) in Hispaniæ Regis laudes prolixa  
admodum oratione excurrebat, in qua  
præter alia ita perorabat. Cum Syno-  
dus jamjam ad finem vergeret, Ma-  
jestas Catholica in hoc extremo Concilii  
decurfu Oratorem misit, ut de-  
nuntiaret se paratam ad agendas il-  
las partes, quas Marcianus Impera-  
tor in Concilio Chalcedonensi Regi-  
bus dixit esse sustinendas, ut scilicet  
veritatem per sacrum Concilium in-  
ventam tuerentur, tumultibus ob-  
staculum irent exorientibus, atque exor-  
tos coercerent: cupit igitur Rex ad  
felicem exitum perducere illam San-  
ctam Synodum, quam Carolus V. Im-  
perator ejus Paternam fovit, & ut  
adolesceret, summo studio elaboravit,  
cujus causa bella difficillima, & pe-  
riculosissima suscepit, eamque etiam  
Ferd-

*Pallav. c. 1.  
num. 8.  
Mem. l. 6.  
Lett. de  
Lansac.  
16. Maji  
pag. 438.  
Sarp. l. 3.  
pag. 687.  
Spond. hoc  
ann. n. 28.*

(\*) Is duntaxat Salmanticensis Episcopi  
Theologus erat.

*Hist. Eccles. Tom. XLVI.*

R

Sæcul XVI.  
A.C. 1563.

„Ferdinandus Imperator ejus Patrus  
„sustentat, nec minus Rex meus nul-  
„lum officium, quod a Catholico Prin-  
„cipe sperari posset, prætermisit, nam  
„Prælatos Hispanos misit Tridentum,  
„Doctores præterea omni literarum, &  
„virtutis genere præstantes, ac Reli-  
„gionem in Hispania conservavit: In-  
„super hæresin, per utrasque Pyrenæo-  
„rum montium fauces ex vicinis Pro-  
„vinciis in Hispaniam irruere conan-  
„tem, propulsavit, atque ad extremos  
„Indos navigare conantem repressit,  
„quo omni studio commigrare cupie-  
„bat, ut in ipsis Indorum animis na-  
„scentis Religionis radices infingeret,  
„hinc hujus Principis industria viget  
„in Hispania Religio, fides, & doctri-  
„næ puritas, ut afflicta Mater Eccle-  
„sia, cum reliquis Provinciis erroribus  
„æstuantes mæsto lustrat animo, suas mi-  
„serias consoletur, dum oculos in Hispa-  
„niam convertit, quam sibi portum,  
„sacram ancoram, & per fugium calami-  
„tatum intuetur., His dictis hic Theo-  
„logus ad vota decurrens, utinam, in-  
„in coercendis hæreticis Principes om-  
„nes, & Republicæ Christianæ fuissent  
„imitatæ, utique & ipsi Patres a celebra-  
„di Concilii sollicitudine, & Ecclesia a tan-  
„tis calamitatibus liberati fuissent. Rex  
meus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

meus non alio fine Mariam Angliæ Re-  
ginam uxorem duxit, quam ut illam  
insulam ad Ecclesiæ finem reduceret:  
Postea idem commemorabat auxilia  
recens missa Regi Galliæ, quorum ope,  
tametsi illæ copię exiguæ essent, qui-  
bus Religio accerrime propugnabatur,  
victoria ad Catholicos inclinavit: pro-  
gressus autem inde ad ea, quæ Rex a  
Patribus expectat, dicebat, postulare  
Regem a Concilio, ut stabiliat doctri-  
nam Religionis, & morum reformatio-  
nem: insuper laudabat Patres, quod  
sanandis doctrinæ simul, atque morum  
vulneribus operam darent; licet non  
desuissent, qui ipsos prorsus a doctri-  
na ad sanandos mores traducere co-  
nati essent: porro suum Regem arbit-  
rari inquebat, quod Patres examinent  
pam fortasse magis, quam circumspectam  
sententiam illorum, qui multa Christianæ  
Religionis hostibus permittenda putant,  
ut indulgentia victi ad Ecclesiæ finem  
revertantur: ex adverso invecus in  
eos, qui Protestantium imbecillitati  
aliquid ad illos reducendos condonan-  
dum existimant, dicebat, cum iis ho-  
minibus agi, quos nulla pietas, nulla  
flectere possit misericordia: ideohorta-  
tus est Patres Regis nomine, ut sic il-  
lorum salutem, Ecclesiæque Majestati  
consulant, ut omnia ex hujus potius  
digni-

R 2

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

dignitate, quam ex illorum libidine gerere videantur; cum Ecclesia semper ea gravitate, atque constantia usa fuerit, ut multa suis hostibus, quæ honeste concedi potuissent, ad infringendam illorum pertinaciam sæpissime denegaverit. Tandem a suo Rege optari aiebat, ut infructuosas quæstiones omit- tant. His dictis conclusit his verbis: cum hoc tantum Concilium, tanta Patrum frequentia coactum sit, ad opus adeo præclarum, cujusmodi est remedium adferre tot malis, quæ Christianam Rempublicam perturbant, si re infecta discederetur, posteritas in neminem alium, quam in Patres culpam conjiciet, atque ipsis, quibus tanta affuit sanandæ Ecclesiæ facultas, voluntatem defuisse mirabitur.

§. XLII.

*Synodi responsum ad Lunensem Comitum, & Hispani Doctoris orationem.*

*Pallav. l. 21.*  
*cap. 1. n. 4.*  
*Sarp. p. 985.*

Finita hac oratione, Lunensis Comes pro more tantisper recessit, ut de responso, quod sibi daretur, deliberandi libertatem Patribus relinqueret, & postea cum Hieronymus Ragazzonus Veneret, Episcopus Famagustanus hanc responsum concinnaverat, ac Comes a Patribus accitus redierat, idem Episcopus